

Georg Radow

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis, Georgius Radovius, Iuris Doctor & Prof. Publ. Ad piam, devotissimamq[ue] Gloriosissimae, Salvatoris Nostri, Resurrectionis Meditationem, Omnes omnium ordinum Cives Academicos, sedulo, serioque invitat : [P.P. sub sigillo Rectoratus d. XIX. April. MDC LXXIV.]**

Rostochii: Kilius, [1674]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735982678>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA,

*Quo*

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,

GEORGIUS RA-  
DOVIUS,

Juris Doctor & Prof. Publ.

*Ad*

piam, devotissimamq;

GLORIOSISSIMÆ,

SALVATORIS  
NOSTRI, RESUR-  
RECTIONIS

Meditationem,

Omnes omnium ordinum Cives

Academicos, sedulo, serioque

invitat.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.

*R.U.-Progr 1674/a*



Uas vices conditio mortalium ab omni ævo habuit, ut ex adversis nascantur secunda, & læta misceantur tristibus, eas nullo unquam magis, quam sanctissimo hocce tempore, non sine dulci admirationis pariter, ac gaudii sensu, Christianus orbis experitur. Dum enim hæctenus piâ mente recoluit tristissima Regis sui fata, & miserrias, quas hic sine intervallo tulit, nullam præter trinitæ lacrymarum, ac desperationis invenit materiam. Oculos affecit sanguineus sudor, servilem in modum injecta vincula, & colaphis tuber, sputo sædum, spinis cruentum caput, & per cicatrices adacta vulnera, & crudelissimum denique crucis supplicium. Auribus nihil accidere potuit acerbius impiis istis maledictionibus, & probris, in innocentissimum DEI filium jactis, querelis denique, & gemitibus Optimæ Matris, Discipulorum amicorumque; ne acerbissimos, anxix ejus animæ cruciatus memorem, quorum sola recordatio pio ac Christiano animo supplicii loco esse potest. Cum in funere Cæsaris Marcus Antonius Triumvir cadaver confecti detexisset, & sanguinolentas lacerasque vestes Populo Romano ostendisset, tanto mærore iracundiæque implevit animos spectantium, ut facibus sudibusque, quas cuique ira dabat, à rogo raptis, accurrerint impetuose ad oppugnandas ædes percussoris. Et is Cæsar erat, qui largitionibus, spectaculis & inanibus nugamentis plebi, specie clementiæ & liberalitatis, imposuerat, re autem vera libertatem eripuerat. Ecquâ mente Christianos nos tum esse decuit, cum Christum nostrum indignâ morte intueremur extinctum, sanctoque cruore respersum cadaver: Annon tam fœdæ rei intuitu decuit tristari, lacrymari, indignari, & in nefandos percussores justas flectere iras, inexpiabilique flagrare odio contra

tra

tra peccata nostra, quæ prima in ipsum tela jecerunt? Is enim est Christus, qui innocenti morte nocentes nos è servitute Satanae & æternæ Mortis (quam crudelium hostium!) redemit, & in veram libertatem assertum ivit. Nefanda, certè res foret, atque impia, si duriores fuissetis saxi, quæ in ipso mortis Domini nostri articulo scissa sunt, aut insensibiliores sole, qui tam fœdum spectaculum avertatus, serenum vultum textit, & miraculoso languore tam tristem mortem universo orbi aperuit pariter, ac luxit. Cæterum jam satis est quærelarum. Non fluctuet amplius inter spem & desperationem animus. Cessent lacrymæ, cessent suspiria. Diu satis nos ira Dei pressit, Satanas irrisit, Lex accusavit, conscientia damnavit. Surge propere amica mea, & veni, jam hyems transit, imber abiit & recessit. Qui ante triduum mortis spicula sensit, vivit: qui ob signato condebatur sepulcro, resurrexit: qui paulò ante sævis hostibus ludibrio erat, hodiè iis terrori esse incipit. Surrexit Christus hodiè, Victor ac Triumphator, Tartareis spoliis trophæisque coruscans, mundo, morte, totoque stygio exercitu gloriose superatis. Absorpta est mors in victoriam. Ubi est, mors, stimulus tuus? Ubi tua, Inferne, Victoria? Deo autem gratia, qui tribuit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Redit jam Redemptori nostro pristinus splendor, redit antiqua ac cœlestis gloria; redit Angelorum caterva, gaudio tripudiantium, Victori triumphos accinentium, laurusque ac palmas præferentium. Redit incomparabilis faciei pulchritudo, frons serena, illustres oculi, ad gratiam rubescens genæ, os purpureum, & aurea Cæsaries. Non conspicitur amplius oris pallor, non illita sputorum spurcicies, non concretus Sanguis, non spinarum vestigia, non verberum vibices, non manantis cruoris rivi. Tanta ignominia fuligo exiguo momento deterfa est, & gloria fulgore repleta omnia.

Memorabilis plane, & mirabilis hicce est Triumphus, victoria incomparabilis, fructus ejusdem ineffabilis. Fabulosa antiquitas, mirum, quantâ gloriâ cumulet facta Jasonis, & Herculis, quorum ille, bobus ignitis aprisque aripedibus prostratis, vellus aureum recuperasse, hic monstra, quæ tellus gignere potuit, teterrima vicisse, ipsumque Cerberum, catenâ triplici ligatum, captivum duxisse, & ex Plutonis domibus Theseum revocasse dicuntur. Equam Redemptor noster non meruit gloriam, cœlestis ille Jason atque Hercules, qui, superatis Tartareis monstris, aureum innocentia, ac Justitiæ vellus mortalibus restituit, constructoque infernali Cerbero, universum mortale genus Orcifaucibus eripuit? Achillem, ceu virum fortem, & de hostibus non unâ vice triumphantem commendat Historia, at tamen ad triste imminentis mortis præsagium exhoruisse, feretur. Quanto fortior Noster, qui adeo mortem non extimuit, ut potius eam comminuerit, confregerit, devoraverit? Famosi in Annalibus Sesostris, Pompeii, Antonii, Regibus, Elephantibus, leonibus curru trahentibus, peracti celebrantur triumphi. Julius Cæsar ascendit Capitolium curru eburneo à quadraginta Elephantibus tracto, & adhuc Romæ, cum admiratione, Magnorum Imperatorum visantur Portæ triumphales, res eorum gestas miro artificio repræsentantes. Quid Gedeonis, Davidis, Samsonis, Machabæi in veteri fœdere descriptos triumphos memorem? Notabilior hisce victoria est, quam Moses in rubro mari contra potentissimum Ægyptiorum exercitum miraculosè obtinuit; At longe adhuc major illa, quam super infernali dracone reportavit Angelus Michael. Verùm omnis triumphorum pompa, atque magnificentia, si cum trophæis hujus diei comparetur, vilescit. Hodie Dominus dominantium, perruptis inferorum repagulis, disjectis cohortibus Satanicis, devictis furiis, victis Draconibus & leonibus

nibus rugientibus, capto monstroso illo Behemoth & Leviathan, nos perpetuæ captivitati, imò morti & gehennæ mancipatos ex durissimis vinculis liberavit, atque secum in triumphum ductos caelesti patriæ quasi postliminio reddidit, detracta deniq; tam sævis hostibus opima spolia, non ut Romani quondam, Jovi Ferentio, sed æterno Patri in caelesti palatio suspendit. O gloriosum Victorem! O salutiferam victoriam! Non enim sibi soli vicit, sed & nobis, quippe propter nos tam acrem pugnam inierat, & quamvis solus gloriam benè gestæ rei retulerit, nobis tamen omnem ejus reliquit fructum. Hodiernis moribus magnis animis ingenisq; plerumq; id contingit, ut bella gerant propter gloriæ cupiditatem, quæ res magna mala, non solum nostrâ memoriâ, sed etiam antiquis temporibus in res humanas invexit. Aliis avaritia & luxuria causæ belli sunt, quod jam olim Romanis exprobrarunt Britanni apud Tacitum in Agricola; ut taceam serinos aliorum motus, qui irarum & per hoc bellorum non alium habent fomitem, quàm nocendi cupiditatem, & ulciscendi crudelitatem. Sapientes pacis causa belligerant, & laborem, spe otii sustentant. Non alium certè Salvator noster habuit curarum ac laborum finem, quàm ut amissam, per lapsum protoplastorum, pacem nobis restitueret, unde & titulum pacifici ab ipsâ primâ nativitate meritus est. O quam dulce & jucundum pacis nomen! res ipsa multò jucundior! qua nihil majus, neq; melius, nihil præstantius, neque optatius mortaliū generi ab immortali Deo dari in hac quidem vitâ potest. Hinc Theodoricus Rex apud Cassiodorum, eam vocare non dubitavit bonarum artium decoram Matrem, quæ mortaliū genus reparabili successione multiplicans, desiderabilis sit omni regno, in quâ & populi proficiant & utilitas gentium custodiatur. Caterùm tam necessariam ac utilem rem (quis crederet?) pronum hocce  
in

in omnia mala, & in perniciosam avaritatem ruens sæculum  
adeò aspernatur, atquè negligit, ut toto ferè terrarum orbe  
nihil quicquam intactum armis reperiat, unius terræ  
ruinâ alteram convolvente. Pax spreta & pedibus calcata  
in exilium plane ejicitur: adhuc locum tutum quæritat,  
nullibi hætenus invenit. Nulli, per naturam magis, quàm  
homini convenit, à nullo animali magis, quàm ab homi-  
ne pellitur & affligitur. Inermis & nudus licet in hanc lu-  
cem præ omnibus armatis animalibus natus, seditiones ta-  
men, tumultus, bella spirat. Solus hodierni diei Trium-  
phator superatis hostibus non renovavit bellum, sed pacis  
nomine subinde suos salutavit, eamque salutandi formu-  
lam præscripsit, moriens suis reliquit, resurgens eandem  
inculcavit. Talem nobis Principem Pacis ante ejus ad-  
ventum promiserunt verissîma Prophetarum vaticinia.  
Hodiè reipsa, experimur, quàm vera fuerit vox Angelo-  
rum per aëra volitantium, & in nativitate Triumphatoris  
nostri canentium: *Gloria in excelsis DEO, & in terra pax  
hominibus bonæ voluntatis.* Dulce satis hoc pacis nomen so-  
nat ex ore Prophetarum ac Angelorum; sed vix effabitur  
lingua humana, quam jucundum, & auribus acceptum ac-  
ciderit, cum ipse Salvator divinâ, ac gratiæ plena voce hæc  
verba pronunciavit: Pacem relinquo vobis: Pacem meam  
do vobis. Non habebat pretiosiores thesaurum, quem  
separaturus se ab humano genere, quod præsens deperive-  
rat, daret atque relinqueret, quàm pacem, rem pulcherri-  
mam, & summum, omnium confessione, bonum. Tàm dul-  
cem nobis fructum peperit gloriosa ejus victoria, quem  
etiam, inter sævissimos Martis tumultus, conscius sibi di-  
vinæ gratiæ animus gustat. Hic tantæ est efficaciæ, ut vitam  
hominis beatam, mortem securam reddat. At latius longe  
sefe extendit hujus Triumphi vis, nec interrestris hujus vi-  
tæ secutæq; mortis claustris se contineri patitur, sed ad re-  
surrel

surrectionis confirmationem quoq; pertinet. Ideo enim Redemptor noster mortis repagularupit, ut alterius vitæ nobis fiduciam daret, cum eadem membrorum, quæ capitis, fortuna esse debeat. Resurrexit ipse, resurget omne humanum genus, & in hujus confirmationem, jam antè triduum monumenta aperta, multaq; corpora sanctorum, qui dormierant, surrexissent, hiq; de sepulcris egressi, & in sanctam civitatem venisse, & multis apparuisse leguntur. Ipse resurrectio est & vita; qui credit in eum, etiam si moriatur, vivet. Implevit hodiè illa Prophetarum vaticinia, quæ triduo illum resurrecturum sponderunt; præstitit hodiè, quod ipse promiserat, se destructurum esse templum, & triduo reedificaturum. Hora enim nona pasceves mortuus est, & circa primum gallicinium diei dominici surrexit, inter quos dies Sabbathum intercedit. Et de diebus quidem nullum est dubium, sed de noctibus scrupulum, injicit, quod in exemplo de Jona ipse dixit Matth. 12. v. 40. Erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus, cum tamen constet, duabus saltem noctibus in sepulcro eum quievisse. Verū enim verò eximitur facile hic scrupulus, si dicamus, cū Zigabono in c. 8. Math. Christū nō potuisse expectare tertiā noctē, ne suspecta haberetur resurrectio. Judæos enim decrevisse ad tertium usque diem saltem sepulcrum munire, tertiam verò noctem absq; munitione relinquere; ut itaque omnem tolleret contradictionem, ac furti suspiciōē, surrexisset, cum adhuc custodiretur, nec hanc velocitatē argui posse, cum, quod citius, quam constitutum est, efficitur, potentia sit; quod autem tardius, imbecillitatis. In hac resurrectione Dominica fundatur spes resurrectionis nostræ, & nullum dubium est, quin Christus eādē virtute, quā se ipsum suscitavit, nos quoq; membra sua, sit excitaturus. Cum ergo resurrectio nostra tam immobili nitatur fundamento, quid multis laboremus è naturā rerum ejus probandæ mutuari




uari argumenta? Quid pluribus evictum demus; omnia in  
statum redire, quum abscesserint; omnia incipere, cum de-  
sierint; ideo finiri, ut fiant; nihil deperiri, nisi in salutem; to-  
cum deniq; hunc ordinem revolubilem rerum, testationem  
esse resurrectionis mortuorum? Optimè hoc oculis animis-  
que repræsentavit Tertull. lib. de resurrect. carn. cum inquit:  
*Aspice nunc ad ipsa quoq; exempla divina potestatis. Dies moritur  
in noctem, & tenebris usque quaque sepelitur. Funestatur mundi  
honor, omnis substantia denigratur. Sordenti, silenti, stupenti cum-  
sta: ubique iustitium est, quies rerum. Ita lux amissa lugetur, &  
tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole eadem & integra  
& tota universo orbi reviviscit, interficiens mortem suam, no-  
ctem, rescindens sepulturam suam, tenebras; hares sibi met existit,  
donec & nox reviviscas cum suo & illa suggestu. Redaccenduntur  
enim & stellarum radii quas matutina succensio extinxerat. Re-  
ducuntur & siderum absentia, quas temporalis distinctio exemerat.  
Redornantur & specula Luna, qua menstruus numerus attriverat.  
Revolvuntur hyemes & aestates; & verna & autumn a cum suis vi-  
ribus, moribus fructibus, &c.* Hæc & similia in solatium no-  
stri meditatatur omnis natura. Hæc meditanda & Nobis sunt  
Cives Academici, sanctissimo hocce tempore, quo Christus  
salubre redemptionis suæ opus ad finem feliciter perduxit.  
Ita nos vitam instituire decet, ut Victor-resurgens in corde  
nostro requiescere non dedignetur. Surgamus & nos à vi-  
tiis, ut vivamus Iustitiæ. Hoc enim pacto & nos universo  
humano generi partâ victoriâ & pace fruemur, & Trium-  
phator hodiernus nos resurrectionis suæ reddet participes,  
ac in novissimo die resuscitabit, non ad supplicium, sed  
ad requiem. Deus annuat votis. Valere.

P. P. sub sigillo Rectoratus d. XIX. April.

M DC LXXIV.



furrectionis confirmationem quoq; pertemptor noster mortis repagularupit, bis fiduciam daret, cum eadem membro fortuna esse debeat. Resurrexit ipse, resnum genus, & in hujus confirmationem monumenta aperta, multaq; corpora famierant, surrexisse, hiq; de sepulcris egcivitatem venisse, & multis apparuisse lerectio est & vita; qui credit in eum, etiam Implevit hodie illa Prophetarum vaticium resurrecturum sponderunt; pr ipse promiserat, se destructurum esse temadificaturum. Hora enim nona parascecirca primum gallicinium diei dominici dies Sabbathum intercedit. Et de diebus dubium, sed de noctibus scrupulum, injicde Jona ipse dixit Matth. 12. v. 40. Eri corde terræ tribus diebus, & tribus noctet, duabus saltem noctibus in sepul. Verū enim verò eximitur facile hic scrup Zigabono in c. 8. Math. Christū nō potui noctē, ne suspecta haberetur resurrectio. visse ad tertium usque diem saltim sepul tiam verò noctem absq; munitione relin mnem tolleret contradictionem, ac furt rexisse, cum adhuc custodiretur, nec hā posse, cum, quod citius, quam constitut tentiæ sit; quod autem tardius, imbecill rectione Dominica fundatur spes resur nullum dubium est, quin Christus eād ipsum suscitavit, nos quoq; membra sua, ergo resurrectio nostra tam immobili ni quid multis laboremus è naturâ rerum e



the scale towards document

imRe-  
ita no-  
capitis,  
humana  
iduum  
uidor-  
antam  
e resur-  
, vivet.  
duo il-  
e, quod  
duo re-  
s est, &  
er quos  
lum est  
templo  
minis in  
tamen  
ieviffe.  
nus, cū  
e tertiā  
decre-  
re, ter-  
que o-  
, resur-  
cti argui  
tur, po-  
c resur-  
strā, &  
quā se-  
9. Cum  
mento,  
da mu-  
tuari